

fiatilis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus Nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, omnia, & singula Privilegia, concessionis, facultates, indulta, indulgentias, cæteraque gratias spirituales, & temporales eisdem locis, & illa visitantibus, nec non dicti Ordinis Guardiani, & Fratibus in dictis partibus degentibus, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, quatenus sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa existant, sacræque canonibus, constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini Decretis non adversentur Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac perpetuas, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robore communimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenierint supplemus. Nec non insuper omnibus, & singulis eorumdem fratrum interpretibus nunc Hierosolymis, Bethlehem, & Nazareth existentibus, & viventibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti, Nomen JESU ore, si potuerint, in corde, devotè invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & largimur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam MARIAM Majorem, sub annulo Piscatoris, die 11. Junii 1670. Pontificatus nostri Anno primo.

J. G. Slusius.

Hec Bulla habetur in supplemento Theatri Regularium R. P. Angeli à Lanusca verbo, indulgentia, nu. 1.

INDULGENTIÆ

Rosarium, & Crucum Hierosolymitanarum.

Forma Indulgentiarum.

Quas sanctitas nostri Domini Pape Innocentii Undecimi concedit in perpetuum per Breve, quod incipit. Unigeniti DEI Filii. Datum 28. Januarii 1638. Crucibus, Coronis, & Rosariis, quæ tetigerunt loca sacra Terræ sanctæ, & sacras Reliquias ibi existentes, revocando, & annullando omnes alias indulgentias, quæ dicuntur esse concessæ ab aliis Summis Pontificibus supradictis Crucibus, Coronis, &c. Ad instantiam P. Marini Sormani Ministri Generalis totius Ordinis Servarum Minorum Observantium Sancti Francisci.

Quicumque habebit secum aliquam Crucem, Rosarium, aut Coronam, quæ tetigit loca sancta, & sacras Reliquias Terræ sanctæ, lucrabitur indulgentias sequentes, operando, sicut sequitur. Videlicet.

Qui consueverit dicere semel ad minus in septimana Coronam Domini, aut Dominæ; aut Rosarium, vel tertiam ejus partem, aut Officium, vel Divinum, vel parvum Dominæ, vel de mortuis, aut septem Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales; aut docere doctrinam Christianam, vel in visere carceratos, vel infirmos alicujus hospitalis, vel subvenire pauperibus, vel Missam audire, vel quando Sacerdos est, illam legere, si verè pœnitens, & Confessus apud Confessarium approbatum ab Ordinario, communicaverit in quolibet infrascriptorum dierum, scilicet: Natali Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, in Festis sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Domini: in Festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatissimæ Virginis, in Nativitate S. Joannis Baptistæ, in Festis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Andree, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, & omnium Sanctorum, & devotè oraverit DEUM, pro extirpatione Hæresum, & Schismatum, pro augmento fidei Catholicæ, pro pace, & concordia principum Christianorum, & pro aliis necessitatibus sanctæ Ecclesiæ, in ipso die acquirit remissionem omnium suorum peccatorum, & indulgentiam plenariam.

Qui faciet illas res in aliis Festis Domini, aut Beatissimæ Virginis, in unoquoque dierum dierum consequetur septem annos, & totidem Quadragenas de indulgentia:

& faciendo easdem in unaquaque Dominica, aut in alio Festo Anni lucrabitur quinque Annos, & totidem Quadragenas; faciendo in alio die Anni, acquirit centum dies de indulgentia.

Quicumque in Articulo mortis devotè recommendabit DEO animam suam, invocando Nomen JESU ore, aut si non potest corde, verè pœnitens, Confessus, & Communicatus, aut, si non potest, ad minus contritus, consequetur remissionem omnium suorum peccatorum, & indulgentiam plenariam.

Qui faciet aliquam orationem præparatoriam ante Celebrationem Missæ, aut Communionem, aut ante recitationem Officii Domini, vel Beatæ Virginis, consequetur semper quinquaginta dies de indulgentia.

Qui visitabit carceratos, aut infirmos in hospitali adjuvando eos aliquo opere pio, aut in Ecclesia docebit doctrinam Christianam, vel domi tradet eam propriis filiis, parentibus, servis, semper lucratur ducentos dies de indulgentia.

Qui consueverit semel ad minus in septimana dicere Coronam, aut Rosarium, aut Officium nostræ Dominæ, aut de mortuis, aut Vesperas, aut unum Nocturnum ad minus cum Laudibus, aut septem Psalmos pœnitentiales cum Litanis, & precibus, lucratur in illo die, quo id dicit, centum dies, ultra indulgentias concessas à Sancto Pio V.

Qui ad sonum campanæ alicujus Ecclesiæ manè, aut sero, aut medio die recitabit solitas preces: Angelus Domini. Aut si id non sciat, unum Pater noster, & unum Ave Maria, aut pariter, dum sonat signum pro mortuis, dicit Psalmum De Profundis, aut unum Pater, & Ave Maria, si non sciat illum Psalmum, consequetur centum dies de indulgentia.

Qui in die Veneris devotè meditabitur Passionem, & mortem JESU Christi Domini nostri, & dicit ter Pater noster, & Ave Maria, in illo die lucratur centum dies de indulgentia.

Qui verè pœnitens de suis peccatis cum firmo proposito se emendandi faciet examen conscientia, & recitabit ter Pater noster, & Ave Maria, aut in honorem Sanctissimæ Trinitatis similiter dicit ter Pater noster, & Ave Maria, aut in memoriam quinq. Vulnerum JESU Christi quinq. Pater noster, & Ave Maria, lucratur centum dies de indulgentia.

Qui orabit devotè pro fidelibus agonizantibus, vel dicit unum Pater noster, ad minus, & Ave Maria pro ipsis, consequetur in illo die quinquaginta dies de indulgentia.

Omnes supradictas indulgentias potest quis lucrari pro se in supradictis diebus, aut eas applicare per modum Suffragii animabus purgatorii.

G. F. Albani, Secret.

Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ, 1698.

Hoc decretum Roma transmissum accepi in Idioma Italico.

INDULGENTIÆ

Coronarum, & Crucum Hierosolymitanarum, & Carravacensium declarantur.

Decretum sacre Congregationis Indulgentiis, & sacris Reliquiis præpositæ.

SUB

INNOCENTIO PAPA XIII.

Nuper sacre Congregationi indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ relatum fuit, passim vulgari Summarium quoddam indulgentiarum germanico idiomate conscriptum, quod latine verum incipit: Indulgentiæ, quæ concessæ fuerunt à Sac. mem. Papa Sixto V. Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. super Coronis, Crucibus factis Hierosolymis, & Bethlehem denuo confirmata à Summis Pontificibus Clemente X. & Innocentio XI. die 11. Junii, Anni 1670. Impressum Augusti à Joanne Michaele Labhart, Anno 1720.

Cum autem in dicto Summario nonnullas indulgentias falsas, aut Apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas contineri deprehensum fuerit, ideo, ne fideles decipiantur, eadem sacra Congregatio habita die 11. Martii, 1721. prædicti Summarii Augusti impressi, vel denuo ubicumque

que imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis, declarando gestantes Cruces, & coronas, quæ loca Terræ sanctæ, & sacras Reliquias ibi existentes tetigere, illas sumtaxat indulgentias lucrari posse, quas san. mem. Innocentius XI. litteris, in forma Brevisemanatis, die 28. Januarii, Anni 1638. prædicta gestantibus, & pia opera in eodem Breviscripta devotè peragentibus concessit. Insuper eidem sacre Congregationi pariter delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos, nō sine magno fidelium scandalo, prædictas Cruces, & Coronas publicè vendere, aut mercibus commutare, ausu temerario non erubescere: Ideò strictè prohibuit, ne in posterum, aut publice, aut secretò vendantur, aut quomodocumque commutentur; addita etiam declaratione, quod non transeat personam illorum, quibus prima vicedistribuantur, & quod neque commodari, aut precario dari possunt, & quod aliqua re ex prædictis deperdita, pro ea subrogari altera non valeat. Quod, si secus fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant indulgentiis jam concessis. Cum etià sacre Congregationi indulgentiarum innoverit, evulgatum fuisse alterum Summarium indulgentiarum germanico pariter idiomate conscriptum absque loco editionis, & nomine Impressoris, cujus initium latine redditum est: Indulgentia, quæ Crucibus Caravacensibus concessæ fuerunt à Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuo confirmata ab Innocentio XII. Et excipit pro consolatione Christi fidelium, & sanctæ Crucis Amatorum, in quo multæ indulgentiæ penitus confictæ, Apocryphæ, & falsæ deprehensæ fuerunt, eadem sacra Congregatio dicti Summarii impressionem, & usum sub iisdem pœnis in indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus omnibus per me Secretarium sanctissimo D. N. Innocentio XIII. Relatis die 4. Mensis Junii, sanctitas sua sententiam sacre Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari jussit.

Datum Romæ, die 5. ejusdem Mensis Anni 1721.

L. Card. Picus, Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Hoc Decretum Romæ Typis Rever. Cameræ Apostolicæ, Anno 1721. impressum, in locis solitis, & consuevis Urbis Romæ per Jacobum Vasellum Apost. Cur. affixum, & publicatum, atque Romæ per Notarium Apostolicum subscriptum, & authenticatum, transmissi mihi Romæ, Anno 1723. 28. Augusti A. R. P. Joannes Thonii, Ord. Fratrum Min. Recoll. S. S. Theologiæ Lector Emeritus, nostræ Nationis Germano Belgicæ Agens Generalis Actualis Romæ, ac Notarius Apostolicus. Quia verò, hoc non obstante, aliqui dicebant, præfatum Decretum sub moderno Pontifice Maximo, Innocentio XIII. editum, ab eodem iterum fuisse revocatum, vel immutatum, iteratò scripti Romam ad supradictum nostrum Agentem Generalem A. R. P. Joannem Thonii, instantè rogans, ut me de hoc certificaret, qui mihi rescriptis sequentia: Transmissum Decretum de Crucibus &c. Terræ sanctæ est in vigore, ceterique constat, modernum Pontificem nihil innovasse, aut revocasse, adeoque standum tenori verbali Decreti, quid alii dicant. Romæ 20. Novembris 1723. F. Joannes Thonii. Plura adhuc addidit ad horum confirmationem, quæ, cum prædicta sufficiant, non est necessarium referre.

Libri ex Bibliotheca.

PIUS PAPA VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus nonnulli Conscientiæ suæ prodigi, & avaritiæ morbo laborantes libros ex Bibliothecis nonnullorum Monasteriorum, & Domorum Ordinis S. Francisci furto extrahere, & penes se pro eorum usu retinere non vereantur, in animarum suarum periculum, & ipsarum Bibliothecarum, ac Fratrum ejusdem Ordinis non modicum præjudicium. Nos super his prout Nostro incombent Officio, de opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra univertis, & singulis personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus cujuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Pontificali dignitate præfulgeant, tenore præsentium mandamus, ne ex Bibliothecis prædictis, aut earum aliqua, librum aliquem, aut quaternum

furto subtrahere, quoquo modo præsumant. Nos enim quoscumque subtrahentes excommunicationis sententiæ subiacere volumus, & decernimus ipso facto, à qua nullo ab alio, quàm à Romano Pontifice possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Monasteriorum, & Ordinum prætorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Verùm quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus, quod earum transumptis, manu alicujus Notarii publici inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, profus in iudicio, & extra, ac aliis ubilibet, fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si eæ exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die quarto Novembris, 1568. Pontificatus nostri Anno quarto.

Hec Bulla habetur apud nostrum P. Gaudentium Kerkbove in nostra statuta generalia c. 3. §. 9. nu. 2.

Litteræ Pœnitentiariæ.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Bulla: exponi nobis. Data 27. Novembris 1679. concessit lectoribus jubilatis Ordinis Minorum de observantia omnes prærogativas, præeminencias, Privilegia, & gratias, quibus alii Regulares Doctores Artium, & in S. Theologia Magistri fruuntur. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Celsus MARIA Ballo de Senis commissarius Generalis Curie, Ordinis Fratrum S. Francisci de observantia nuncupatorum, quod dudum statim atque dictus ordo, ab Ordine Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Conventualium nuncupatorum, auctoritate Apostolica separatus fuit, Fratres Minores de observantia hujusmodi, ut quicquid mundani fastus, & ambitionis inducere possent, à se procul amoverent, ad gradus Doctoratus, Artium, & Magistrii in sacra Theologia promoveri, & Doctores, ac Magistri vocari deserunt. Nihil tamen minus ejusmodi scientiarum studiis operam dederunt, sed qui in illis tantum progressi erant, ut alios docere possent, solo contenti fuerunt, & adhuc sunt, Nominè, & Titulo Lectorum Actualium, & habituum, qui etiam post peractam iuxta Apostolicas, & Ordinis sui Constitutiones saltem triennio Philosophiæ, & decennio sacre Theologiæ Lecturam, Lectores Jubilati vocari fuerunt, & vocantur. Cum autem sicut eadem expostio subjungebat, licet ejusmodi Lectores jubilati quoad rem ipsam, nempe litterarum scientiam à Magistris in sacra Theologia, & Doctoribus Artium differre non videntur, quia tamen inter eos est nominum, titulorumque diversitas, nonnulli præterant, ac etiam per sententias judicialiter definiant, illos Doctoribus, & Magistris hujusmodi in ordine ad aperiendas, & executioni mandandas litteras per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ expeditas, quæ ejusmodi Doctoribus, seu Magistris super absolutione, dispensatione votorum, seu aliorum obligatione, commutatione dirigi solent, ac quo ad alias prærogativas pares non esse. Nobis propterea dictus Celsus Maria humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Ordinis primo dicti decori, & honorificentia, quantum cum Domino possumus benignè consulere, ipsamque Celsum Mariam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes ---- hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus, & singulis memorati Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia Lectores Jubilatis præsentibus, & futuris, ut quascumque litteras per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ hujusmodi pro tempore expeditas, quæ Doctoribus artium, seu Magistris in S. Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, & iuxta illarum formam, & tenorem executioni mandare, nec nō quoad alias functiones Ecclesiasticas, & litterarias quaslibet omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, & indulgiis, quibus Fratres expressè professi aliorum Ordinum, Doctores Artium, & in S. Theologia Magistri, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, uti, frui, & gau-

& gaudere liberè, licite, & validè possint, & valeant  
Autoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus  
& indulgemus.

Cæterum non intendimus per præsentis litteras, pri-  
vilegia, exemptiones, prærogativas, gratias, & indul-  
ta, quæ præfatis Lectoribus Jubilatis per Apostolicas, &  
Ordinis primò dicti Constitutiones concessa sunt, ullo modo  
augere, vel minuere, sed illa in statu, & terminis, in qui-  
bus de præfatis reperiantur, remanere volumus &c.

Hæc Bulla habetur apud P. Gaudentium Kerckove in no-  
stra Statuta General. cap. 7. §. 6. num. 22.

Matrimonium Clandestinum.

U R E A N U S VIII.

Ad futuram rei memoriam.

**E**Xponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Archi-  
Episcopus Colonienfis, quòd habito nuper per eum  
ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales sacri  
Concilii Tridentini Interpretes recurfu supra infrascriptis  
dubii, videlicet; Primò, an incolæ tam masculi, quàm  
femine loci, in quo Concilium Tridentinum in punto Ma-  
trimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo  
dictum Concilium non est promulgatum, venientes idem  
domicilium, validè possint in isto loco, matrimonium sine  
Parocho, & testibus contrahere? Secundò, quid si èd  
predicti incolæ tam masculi, quàm femine solo animo si-  
ne Parocho, & testibus contrahendi se transferant habita-  
tionem non mutant? Tertio, quid si idem incolæ tam mascu-  
li, quàm femine eo transferant habitationem, illo solo ani-  
mo, ut absque Parocho, & testibus contrahant? Idem  
Cardinales ad primum, & secundum, non esse legiti-  
mum Matrimonium inter se sic transferentes, ac transeuntes  
cum fraude; ad tertium verò dubiorum hujusmodi, si domici-  
lium verè transferatur, matrimonium esse validum re-  
sponderunt, & resolverunt, prout in Decreto desuper  
emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem ex-  
positio subiungebat, dictus Archi-Episcopus Responsum  
seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi pro  
illius subsistentia, et validitate firmioribus, Apostolicæ  
Nostre Confirmationis robore communiri summopere de-  
sideret, Nos eundem Archi-Episcopum specialibus favo-  
ribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus il-  
lius Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis incli-  
nati, responsum seu dubiorum prædictorum resolutionem  
hujusmodi, Autoritate Apostolica, tenore præsentium  
approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apo-  
stolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud, seu  
illam, nec non præfatas litteras validas, firmas, & effica-  
cia existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effe-  
ctus sortiri, & obtinere, licque, & juxta illa per quos-  
cumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cau-  
sarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti de-  
bere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam  
quavis Autoritate scienter, vel ignoranter contigerit at-  
tentari, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationi-  
bus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Da-  
tum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisca-  
toris. Die 14. Augusti 1627.

Hæc Bulla habetur apud La Croix, lib. 6. part. 3. de  
Matrimonio; num. 712.

Missæ Defunctorum.

Decretum de non celebrandis Missis privatis pro defunctis  
in festis duplicibus.

**C**um sanctissimus D. N. Alexand. Papa VII. in visi-  
tatione Ecclesiarum Urbis acceperit, in plerisque Ec-  
clesiis abutimur irreverentibus celebrandi Missas privatas pro de-  
functis etiam in festis duplicibus contra præscriptum Ru-  
bricarum Missalis Romani, eundemque abutimur Decreto  
Congregationis eliminari præcepit. Innotuerit verò sa-  
crorum Rituum Congregationi hujusmodi abutimur etiam  
in aliis Ecclesiis, ubique gentium existentibus inductum  
pariter reperiri; Sacra eadem Congregatio, ut Missalis  
Rubricæ inviolatè serventur, districtè præcipit omnibus  
& singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regulari-  
bus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & insti-  
tuti, etiam necessariò exprimendi, ut impostè omnino  
dictam Rubricam servent, ita ut missas privatas pro

defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus cele-  
brare audeant, vel præsumant. Quòd si ex benefactorum  
præscripto missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum  
duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non  
impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus  
detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum ap-  
plicatione Sacrificii juxta mentem eorundem benefactorum  
curentque Ecclesiarum Rectores, sacristæ, alique, ad  
quos pertinet, ut hujusmodi Decretum inviolatè serve-  
tur, et in sacristia affixum retineatur; ubi commodè ab  
omnibus celebrare volentibus conspici, et legi possit. In  
eos autem, qui contrafacere ausi fuerint, vel præmissa  
adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum Sæculares,  
tum Regulares pro modo culpæ animadvertant. Die 5.  
Augusti 1662.

Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas  
sua annuit, & cum applicatione Sacrificii satisfieri, ac  
benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die 5. Au-  
gusti 1662.

Epi. Jisc. Sabinen. Car.  
Sacchetti.

Loco + sigilli.

Franc. Maria Phœbeus, Sac. Rit.  
Congreg. Secr.

**A**dvertendum circa præfatum Decretum, quòd missæ  
votivæ solemnes pro re gravi, ac etiam solemnes  
pro defunctis non comprehenduntur in Decreto; nam ex-  
primendo missas privatas, excludit solemnes pro re gra-  
vi, quæ juxta rubricam possunt cantari in festis non ma-  
joribus, & jam usus recepit; ex concessione Sac. Rit.  
Congregationis, die 28. Augusti, 1626. quod missa pro de-  
functis, ritu de Requiem celebrari potest in Dominicis, &  
festis in sepulto, & in Ecclesia præfate corpore, ubi nimi-  
rùm viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum mis-  
sa: igitur de missis privatis tantum intelligendum est, sicut  
loquitur Decretum.

Hoc Decretum habetur in Supplemento Theatri Regularium  
R. P. Angeli Auda à Lantusca, verbo Missa nu. 1.

Missæ in Ecclesiis Regularium.

Missam audientes utriusque sexus fideles in Ecclesiis Fra-  
trum Mendicantium satisfaciunt præcepto Ecclesiæ:  
prout in sequenti Constitutione patet.

LEO PAPA X.

Universis, & singulis presentes litteras inspecturis  
salutem, & Apostolicam benedictionem.

**I**ntelleximus quosdam in dubium revocare, & proinde  
timoratis conscientis scrupulum injicere, si Christi  
fideles, qui Dominicis, & festis diebus extra Ecclesias  
suarum Parochiales missas audiant in Ecclesiis Fratrum Or-  
dinis Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de missa audien-  
da satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi peni-  
tens tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles  
quique DEO creatori suo serviant, Autoritate Apostoli-  
ca, tenore præsentium, notum facimus, omnes Christi  
fideles utriusque sexus, qui, (non contempto proprio Sa-  
cerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinis Mendicantium,  
Dominicis, & Festis diebus missas audiant, satis-  
facere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec aliquam  
labem mortalis peccati, penamque propterea incurrere.  
In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque;  
&c. Et quia difficile foret presentes litteras nostras origi-  
naliter ad loca omnia, ubi opus fuerit, deferri, volumus  
& decernimus, ut earum transcriptis manu Notarii pub-  
lici subscripitis, & sigillo alicujus Prælati in dignitate  
Ecclesiastica constituti, munitis, ea fides, ubi opus fue-  
rit, detur, quæ Originalibus ipsis daretur, si exhibere  
forent, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctum Pet-  
rum, sub Annulo Piscatoris, die 13. Novembris 1517.  
Pontificatus Nostri Anno quinto.

Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini Tom. 1. Pag. 597

Missæ

Missæ in Oratoriis Privatis.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De Missæ

Celebratione in Oratoriis privatis.

**Q**uoniam sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim  
tremendum inveniunt sacrificii Mysterium, quod om-  
ni Religioni cultu, & veneratione peragendum est, pro-  
pterea super observandis, & evitandis in celebratione mis-  
sarum, in sacrosanctis œcumenicis Conciliis, ac præsertim  
Tridentino sub cap. unico sess. 22. inter cætera statutum est,  
ut tantum sacrificium solummodo in Ecclesiis, aut Orato-  
riis Divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo  
Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in Domibus,  
atque omnino extra Ecclesiam peragi paterentur, ac subin-  
de sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissi-  
morum S. R. E. Cardinalium ipsius Concilii Tridentini execu-  
cioni, & interpretationi præpositorum, sæpè sæpius per  
opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Moder-  
nis tamen temporibus innotuit sanctissimo Domino nostro,  
quòd nonnulli Episcopi sub prætextu privilegiorum, Capel-  
lis Episcopalibus competentium, & complures Regulares,  
sub prætextu privilegiorum, quæ ipsi à sancta Sede indul-  
ta noscuntur, per hujusmodi privilegiorum dilationem, seu  
potius excessum, & abutimur in nonnullis Diocæsis, præ-  
sertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis civitate, ea  
sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimo prohibi-  
ta: Siquidem nonnulli Episcopi, etiam in aliena Diocæ-  
si, & extra Domum propriæ habitationis in privatis laico-  
rum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum aut  
plures ex suis Capellanis vivificam Christi hostiam immola-  
re, Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum  
Nobilium personarum privatis Oratoriis, quæ certis quan-  
doque ex causis à S. Sede Apostolica concedi solent, celebra-  
re audent, vel plures missas, quam ipsi celebrare sit in-  
dultum, vel absque præsentia personarum, quarum con-  
templatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas  
horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per  
Constitutiones Diocæsanæ, aut etiam per Decreta Sacræ  
Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in  
ipsis indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in his  
celebrare possint, aut etiam Altari portatili uti non verentur,  
in sanctarum functionum contemptum, ac sancti sacrificii  
irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad in-  
staurandam venerationem tremendo Ministerio debitam,  
idem SS. Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardi-  
nalem Concilii Tridentini Interpretum, inherendo declara-  
tionibus aliis hæc de re editis, expressè declarat, Episco-  
pis, & his Majoribus Prælati, etiam Cardinalatus digni-  
tate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in cor-  
pore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere  
extra Domum propriæ habitationis in Domibus laicis, et-  
iam in propria Diocæsi, quòd fortius intelligitur in aliena,  
etiam si Diocæsanæ consensu adhiberetur, erigere Altare,  
ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, seu cele-  
brari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per  
S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis  
Ordinis, aut instituti, seu Congregat. etiam Societatis JESU,  
aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Jo-  
Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, et-  
iam si essent Episcopi, in his celebrare in diebus Paschatis fan-  
tissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini  
Nostri JESU Christi, aliis anni festis solemnioribus, ac  
diebus in indulto exceptis, in reliquis verò diebus, prædictis  
Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episco-  
pis, in privatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam  
unica missa, quæ in indulto conceditur, celebrata fuerit,  
super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de  
eo se optime informare; atque illa etiam in casibus permis-  
sis celebrari nequeat post meridiem, demandando propte-  
rea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus,  
personas quascumque dictas missas audientes nullatenus Ec-  
clesiæ præcepto satisfacere; quo verò ad Altare portatile,  
interim inherendo declarationibus prædictis censuit, licen-  
tiam seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap-  
itis de priv. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regu-  
laribus communicata, utendi dicto Altari portatili in eo-  
que celebrandi absque Ordinarios licentia in locis, in  
quibus degant, omnino revocata esse, per idem sacrum  
Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos,  
Suppl. Theol. Sacramental.

ne illis utantur, ac mandandum, prout præfatis decreti  
tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut  
contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares,  
procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad  
pœnas præscriptas per diem Sacr. Conc. in dicto Decreto  
Sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam  
eisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde,  
ac si per sanctam Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita  
sanctitas sua declarat, & servari mandat. Romæ hæc die  
15. Decemb. 1703.

B. Card. Panciaticus, Præf.

Jo: Dominicus Thomatus Episc.  
Cyrenen. S. C. C. Secr.

Die 27. Mense Januarii, 1704. supradictum Decretum  
affixum, & publicatum fuit in Monte Citorio Curia In-  
nocentianæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me  
Nicolaum Vafellum S. D. N. Papæ Curf.

Pro D. Mag. Curf. Thomas  
Orlandus Ap. Curf.

Romæ, Typis Rever. Cameræ Apostolicæ MDCCIV.

Impressum Salisburgi, apud Hæredes Marianos Anno  
1704. Die 28. Januarii.

Hoc Decretum habet P. Anacletus Reiffenstuel in suo Jure Ca-  
nonico, lib. 3. tit. 41. n. 5.

PAROCHUS.

Decretum Sacræ Congregationis Concilii, super applicatione  
Sacrificii à Parochis in Lucana.

**R**everendissimo Episcopo. Cum præcepto Divino iis,  
quibus animarum cura commissa est, mandatum sit,  
pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpè alias sacra Con-  
gregatio censuit, Parochos teneri pro Parochianis sacrifici-  
um applicare, atque ea cum distinctione, ut, si redditus  
pingues sint, singulis diebus; si vero tenues, saltem diebus  
festis, idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis,  
& Diocæsis, hoc insuper addens, ut detrectantes, Reve-  
rentia Vestra pro suo Pastoralis zelo compellere non gra-  
vetur. Romæ 10. Maji 1681.  
Ita reperitur in Registro authographo litterarum ejus-  
dem Sacræ Congregationis Concilii lib. 16. fol. 134. in quo-  
rum fidem Datum Romæ 11. Decemb. 1609.

(L. P. S.)

(Nomen Reverend. D. Secr.)

Steph. Archi-Ep. Brancuccius S. Congr. Secr.

Et hoc etiam habetur, ex Trident. Sess. 23. de Reform.  
Sac. Congreg. Conc. in Civit. Castell. 26. Augusti. 1628.  
ac Hydruntin. 13. Februarii 1633. Romana 17. Julii 1649  
Clavin. 5. Julii 1670.

Quoniam verò quidam Domini Parochi tenuibus dumtaxat  
redditis provisi, novam dubium proposuerunt, an vi-  
delicet vi Tridentini, ac præfati, præcedentiumque similibus  
Decretorum, Dominicis, & Festis diebus, missam pro  
ovibus applicare tenerent, etiam illi, quibus ita tenues sunt  
redditus, ut inde nec congruam habeant. Eadem Sac. Con-  
gregatio 10. Maji 1692. respondit, etiam hos teneri, ita ut  
dictis diebus aliud stipendium, vel elemosynam pro missa  
accipere non valeant, sive dein congruam habeant, sive non  
prout habet memoratum Sac. Congregationis Decretum, po-  
stea ab Innocentio XII. specialiter confirmatum 24. Aprilis  
per Constitutionem tenoris sequentis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**N**uper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostro-  
rum S. R. E. & Cardinalium Concilii Tridentini In-  
terpretum emanavit super quodam dubio pro parte Venera-  
bilis Fratris Moderni Episcopi Pistoriensis, & Pratenfis,  
Congregationis hujusmodi proposito, Decretum tenoris  
qui sequitur, videlicet, Pistoriensis, & Praten. Cum Pa-  
rochi